

SBd

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

GRATVLATIO

QVA

SVMMA PIETATE COLENDO

DOMINO PARENTI

IPSIS NOVI ANNI INITIIS FELICITATEM
PERENNEM ADPRECATVR

GRATISSIMAMQVE BENEFICIORVM MENTEM
SIMVL EXPLANAT.

G. G. H. S.

HANNOVERAE, clō 10cc XXI.

ITa nobis omnia ^{**} felicissime & ^{**} ex ^{**} sententia cadunt,
cum quae nuperrime pie precabamur, videamus
progressu temporum in maius illustriusque produci,
quae iustissima laetandi causa est & novum congratu-
landi argumentum quid enim laetius concelebrem,
quid optatius accidere mihi possit non reperio quam
cum TE, magnopere colende *Domine Parens*, felicitate
augeri sentiam, quo ipso summo expleor gaudio, id-
que divinum beneficium memori animo recolo, quan-
tumvis etiam nullo non tempore gratiae mentis pietate
praedicem quae in me a prima aetate contulisti benefi-
cia, quorum tanta est magnitudo multitudoque, ut
commemorare illa pium magis sit quam facile, attamen
cum abunde constet mihi, te in animo ad quaevis bona
& ingenua adspiraturo, meoque aetatem superante co-
natu eo esse adquieturum libentius, quo magis non
nesciam, te ingenium non cultiori quodam dicendi ge-
nere perpendere, sed studio gratissimae mentis iudica-
re, meque hic dies, quo novum exordimur annum, inci-
tat, ut singulari cura atque officio id faciam, quod tanti
beneficii memoria iniungit mihi, hoc est, ut tibi gratias,
quas debeo agam, licet maiores habeam, eximia enim a
TE studia in me constare, tibi que nihil esse commen-
darius salute mea, in qua augenda cura TUA consumi-
tur testis sum, laudatorem me esse non feres, neque id
in me ingenii studii que est ut laudes tuas celebrem,
nunquam tamen commemoratio illius Tui studii in-
termissa est, nec deleta memoria, sed dum vivam TUA
aeterna praedicatione digna beneficia nominabuntur.
Longum

Longum est persequi, quantum in me instituendo ingenuis illis artibus, quae ab elegantia & humanitate nomen receperunt operam conloces, praeclarum autem meminisse, remunerari difficile; Omnium enim ornamentorum nullum maius est & praestantius, quam quae a litteris, quibus mentes & ingenia felicissime excoluntur, quas omnes boni vehementer amant uniceque colunt, & quae repertae sunt, ut hominum mentes ad optima informarentur, proficiuntur, quod cultissimum optimorum studiorum genus & virtutis incitamentum est, & verae etiam laudis ad quam contendere quilibet excitati sapientiae studio inflammatique ducunt operae pretium, cuius gloria nihil video quidquam altius ad quod adscendere virtutis honestatisque cupidissimi quivis possunt.

Atque cum auctor sis & hortator illarum condiscendarum rerum quae decus adferunt & ornamentum, quaeque mirifice oblectant animos; non enim neganda est iucundissimis litteris sua amoenitas, summa **TIBI** me debere arbitror, id enim opera danda mihi fuit, ut curis **Tuis** ea menti inderem, quae ad humanum cultum vitamque felicem deducunt, atque illud adhuc eniteor, ut non modo spem, quam de me fortasse concipis expleam, sed cumulem etiam laetitiam, qua adficeris, si me exhibeam virtutum tuarum aemulum. Itaque cum me concites atque admoneas ad ea virtutum decora, in quae niti bonae indolis esse puto, deque salute mea ornanda ita multum ad labores; Quanta **TIBI** a me debentur optime amantissimeque *Parens*? quam fortunatum me existimo?

existimo? cum ex felicitate, quae TUA est & quam du-
co meam, non minor ad omnes qui te colunt, quam
adme nullo non tempore ventura est laetitia, perve-
nit; quantis studiis TE prosequi debeo? quid ingra-
tius esset, quam silere de Tuis in me meritis quae ego
ita magna esse fateor, ut mens mea aut cogitatio cape-
re illa non queat; In quod studium libentius incum-
bo, quam ut vota, quae pro salute TUA, & quae illi so-
la reliqua est perpetuitate concepī, faciam ut sicuti
hactenus per benignus DEUS TE omnibus, quae felici-
cia censent mortales cumulaverit, hoc & consecutu-
ris annis pluribus conservet felicissime, imo verò
tam diu salvum esse velit, quam satis TIBI etiamque
nobis vixeris, TIBI autem satis vixisse videberis, si
quae potueris, cuncta in patriae utilitatem atque emo-
lumentum contuleris, & in nostrum etiam commo-
dum, nobis autem licet indies peroptaverimus ut ad
summam senectutem pervenias, parum tamen vixis-
se videberis. Tam cara mihi esse debet salus optimi *Pa-*
rentis, & de nobis ita bene meriti ut Deum precibus
nunquam desitis sollicitem, cumulum beneficiis
addat, & felicitati tuae perennitatem; Mea haec vota
sunt & erunt in posterum quoties hic dies in gaudium
atque decus, in ornamentum praesidiumque fortunae
nostrae laetior exorietur, quo ipso non modo desi-
deria quibus adficior, explebuntur, sed quantum
elaborare enitique potuero, diligenter seduloque il-
lud spectabo, ut gratæ significationes mentis lucu-
lenti in TE extent, nihilque videas sentiasque felici-
tate mihi TUA esse locupletius.

78 M 428

Sign. (188) fehlt baw.
coll. nicht vergeben!



56.

1077

R40

GRATVLATIO

QVA

PIETATE COLENDO
INO PARENTI

ANNI INITIIS FELICITATEM
ENNEM ADPRECATUR

IOQUE BENEFICIORVM MENTEM
SIMVL EXPLANAT.

G. G. H. S.

OVERAE , clp lccc xxi.

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black